



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs LXIII. Exaudi Deus orationem meam, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Nil magis ex voto caderet mihi, quàm tibi laudes
Reddere, si meritas voce sonante queam.
Sic eo dormitum, grata ut tibi mente quiescam:
Sic surgo, ut celebrem fortia facta tua.
Adiutor meus es, tua me dum protegit ala,
Te colo, me fulcit dextra leuatq; tua.
Me licet insidiis petat impia turba paratis,
Ipsa tamen citius tartara nigra petet.
Ense cadent proprio, scelerata fraude peribunt,
Præda petita diu vulpibus, hostis erit.
At Rex in Domino gaudebit tunc, ubi cernet,
Quòd mendaciloquis obstruat ora Deus.*

PSALMVS LXIIII.

Exaudi Deus orationem meam, &c.

*A*udi mi Deus, hic tuus minister
Quid verbis petat ac inops queratur:
Conserues miserum à truci tyranno,
Vitam absconde meam à timore diro.
Sæuo subtrahere me, Deus, furori,
Me congressibus eruas malignis,
Qui lingua gladiis acutiore
Ladunt innocuos, & è latebris

Q 2

Emit)

*Emittunt maledicta ceu sagittas,
Nullam dum metuunt Dei ultionem,
Ac nectunt laqueos piis dolosos.
Tendunt retia vix videnda cuiquam,
Fraudes parturiunt, novasq; technas,
Abdunt cordis in intimo recessu.
At tales subito Jehoua perdet,
Misto fulmine sentient sagittam
Infixam sibi, tunc sua ruentes
Lingua ludibrioq; erunt cuiuis
Cernenti domitos viros feroces.
Sed iusti hoc tribuent opus Jehoua,
In quo gaudia vera sentientes,
Lato pectore & ore gloriantur.*

PSALMVS LXV.

Te decet Hymnus, &c.

L*Audes, Deus, tuas pium silentium,
Montis Sionis excipit.
Hic vota solunt unico tibi Deo,
Et grata psallunt carmina.
Quod respicis verè inuocantium preces,
Caro omnis ad te confugit.*

Peccata